

D. 28. August. die Solis,

transactis plenè in Templo Sacris omnibus, (quia restabant Oculi Je-
candi, moram amplius non perferentes) ad absolutionem hesternæ A-
natomes reditum est. Sed brevitatis ergò

Procemium de Studio Experimentalium nullum.

* 13. Exuviae Bucampes (Eruca) citò sub initium monstratae; quas
illa, ad metamorphosin sui festinans, more Serpentis, per noctem in vi-
tro deposuerat, nigricantes, rugosas, cum ipsius etiam Cornu, supra
(* 4.) descripti, membranâ exteriori exuta, tanquam vaginâ vel
cortice. Corniculum ipsum verò Bucampe sic retraxit, ut supernè non
emineat amplius, sed directè constituat nunc appendicem acutam Ani.

* 14. Oculus Vituli dissectus: ejusq; Membranae ac Humores,
quantum quidvis Visui conferat, prolixiusculè declaratum.

* 15. Camera Obscura portatilis elegans, Imagines rerum
inversas, rectas, &c. exhibens, addita Demonstrationi Anatomica, ad
declamandum eò meliùs modum Visionis. Camera Obscura enim quid aliud,
nisi Oculus Artificialis: & Oculus, Melano-camera Naturalis?

D. 7. Septembr. die Saturni.

Summa Procemii habiti.

Dona Animi Practica, quae in Personâ Experimentatoris requi-
runtur, sunt vel Activa, (opus nullum videlicet relinquentia extra
personam Operantis, post Actionem Ejus) vel Effectiva.

Activa e. g. dicebantur:

(1.) Pietas & Preces, ut DEUS Operi benedicat. Infelix Eru-
ditio, quae à Magis, Blasphemis, Impostoribus (etiam expertissimis, &
quando interdum non imponunt) petitur.

(2.) Spes firma optimi Successus, & Animus Serenus. Virtus,
inter Arrogantiam & Desperationem, media.

(3.) Æquanimitas; ad attendenda, citra Philantiam atque
Morositatem Dubia aliorum, modestè prolata.

(4.) Liberalitas; (ne per Avaritiam sordidam utilia multa
transmittantur) ad Materias & Supellectilem variam conquirendam;

Com.